



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

20. Dies Maii. Sicut exiprat corpus cùm animam emittit, ita exiprat anima  
cùm Deum amittit. S. Augustinus Serm. de verb. Dom.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

## 20. DIES MAII.

Sicut expirat corpus cùm animam emitit, ita expirat anima cùm Deum amat. S. Augustinus Serm. de verb. Dom.

Peccatum I.  
est mors  
animæ.

**H**ic cæli, terræque, hinc hominum, an Angelorum exposco luctus, ploratus, & suspiria, quibus animam deplorent expirantem.

Quot sub culto, & formoso corpore, circumferunt animam quovis fœdiorem cadavere! Audi de animæ morte loquentem Augustinum. (a) Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis ceteris membrorum satis utitur, viventem putas. Vivit, sed corpus ejus, mortua est autem anima eius; mortuum est quod melius ejus, vivit habitaculum, mortuus est habitator. Quid non agunt homines, ut conservent putidi corporis caducam vitam? Quid omittitur, quod posse creditur ad fovendam, ac retinendam hujuscce cadaveris fugacissimam vitam conducere? aut quid alio usquam terrarum, ac gentium consilio movetur, ex cogitat, suscipitur? huic tot myriades hominum in agris, in urbibus, in silvis, terra, mari, bello, pace, diu, noctu adlaborant, sudant, moliuntur, dum animæ vitam vix curant, vix cogitant, vix oœultâ suerecordatione mordente sentiunt, audiunt monentem, tantopere interest vita tabifici corporis, tam

nihil

(a) Serm. 28. de verb. Apost.

nihil vitæ æternæ mentis; Tanto illa honori, tanto  
hæc contemptui, & horrori. Pro putentis corporis  
quæ brevi occidet vita, tot & volvuntur, & revol-  
vuntur spissa Hippocratis, & Galleni, & Avicenna  
volumina, hinc tot conficiuntur pharmaca, hinc tot  
ubique gentium Medici, Chirurgi, pharmacopæi.

II. Nihil judicio sensuum, execrabilius corpore,  
quod vita destituit, cum vitæ amissæ necessario suc-  
cedat pondus inutile, cæcum, fœdum, immobile,  
sensu, actuque omni carens, pestilentem latâ puto-  
rem spargens, effluentibus virulentam in tabem in-  
testinis: huic te carcinomati tam abominando, si  
quis novus Procutes jungat componens manibus-  
que manus, atque oribus ora, quod tormenti genus  
hoc atrocius ducas, et si duas horas tenent? Te verò,  
ah miser, quæ crudelitas detestabilior? horribiliori,  
fœdiorique mortuo, dies octo, menses, annum, & eo  
amplius stringit, & colligat, animæ inquam ictu mor-  
tifero confosæ: Quis eorum quotquot sunt hacce-  
nus, vel functi, vel cæsi, semiuistæ, semesa, putrefacta  
in acervum congesta cadavera, videre sustineat, fer-  
reque ex iis circum latissimè grassantem camarinæ  
infamis colluviem, & contagem: at cùm præstet una  
cunctis corporibus anima, hujus profectò mors de-  
terior est per se, ac visu fœdior, quam omnium cor-  
porum. Hanc tamen proh nostra miseria! circum-  
feramus, atque ô sensus sine sensu! Qui cadaver ho-  
minis in mensa, cui accumbimus, pati stomacho fir-  
mo, aut imaginati non possumus, animam in sinu  
portantes mortuam, & cadaverosam, edimus, bibi-  
mus, dormimus, in omne genus hilaritatis nos effun-  
dimus.

III. Ubi

III. Ubi jam post tantum malum, dolor de tanto malo? Tunè illum sapere contendes, qui cùm universam domum optima instruētam supeilectili, horrea frugibus completa, generosos in stabulis equos, armenta, greges, in prædam Vulcano cedere siccis oculis spectasset; ut primùm clausa vili caveâ redit in memoriam philomela, cantu suo herum oblectare solita, tam demum illachrymari cœpit, & aviculæ jacturam deplorare, ad insipientium classem, nullus dubito, eum relegabis. Nam licet aures oblectare suavis philomelæ cantus, magnarum tamen possessionem opum quis non præferet? Et si alterutrius jacturam facere quis compelleretur, an non relietus arbitrio, tantâ animi promptitu line, lætitiaque eligeret levem unius aviculæ jacturam, quanta solicitudine reformidaret fortunarum omnium eversionem? Sed heu quām in alia quotidie studia abismus? Quomodo nos sapientes haberi volumus, quando vel morbi aliquujus molestias, vel alicujus malignum dentem, vel adversum quemcumque alium casum flebilibus elegiis deploramus, & immaneñ illam atrocissimorum malorum acerbitatem quæ à peccato nostris capitibus imminet, negligimus, ridemus? Plangis quando Anima recessit à corpore; &rides, quando Deus recessit ab anima. Audiatur hīc vox Augustini: *Moritur corpus cùm recedit anima: moritur ergò anima sicut recedit Deus. Recedit anima, cùm corpus percutitur gladio, & putas quia non recedit Deus, cùm ipsa anima futurur perjurio?* Crede Poëtæ:

*Peccat vix animus, mox cadit exanimis.*